

V 2
4841





Q. 191.

43

III, 718.



B. Martini Lutheri

T H E S E S

TEZELIO INDULGENTIARUM

INSTITORI

oppositas

Et valvis Templi OO, Sanctorum Witteb.

31. Octobris Anno 1517. affixas

horisq; pomeridianis ventilatas

Unà cum quæstionibus quibusdam

ead. 31. Octobr. A. 1685. die

P. P.



D. Jo. Frid. Mayer,

S. Theol. Profess. Publ. Templi OO.

Sanctor. Præpos. Substit. atq; Electoral.

Alumnor. Ephorus,

&

ANDREAS JACOBUS SCHERNACCIUS,

Malitzkendorff. Sax. Alumnus Electoral.

horis pomeridianis.



WITTEBERGÆ,

Typis MARTINI SCHULTZII.



V I R O

MAXIME REVERENDO, AMPLISSIMO, *at-*
que EXCELLENTISSIMO,

DN. JOHANNI CLODIO,
S.S. Theol. Doctori Dignissimo, Ecclesiæ
Schliebens. Pastori fidelissimo, totiusq;
Diœceseos Superintend. longeme-
ritissimo, vigilantissimo.

NEC NON

V I R O

NOBILISSIMO, *atq;* AMPLISSIMO,

DN. DANIELI JACOBI,
Hæreditario in *Schmideberg* / Serenissimi
ac Potentissimi Electoris Saxon. Præ-
fecto Schliebens. gravisimo,
dignissimo.

DNN. Patronis, ac Promotoribus suis, o-
mni honoris cultu, debitâq; observantiâ, in
æternum colendis de venerandis.

Labores hosce sacros Acad.

consecratos dedicatosq;

vult

RESPONDENS.



D. MARTINI LUTHERI

THESIS. I.

Dominus & Magister noster Iesus Christus, dicendo
Pœnitentiam agite & c. Omnem vitam fidelium
Pœnitentiam esse voluit.

2. Quod Verbum de Pœnitentia sacramentali, id
Confessionis & satisfactionis, quæ sacerdotum ministerio
celebratur, non potest intelligi.

3. Non tamen solum intendit interiorem. Imo interior nulla
est, nisi foris operetur varias carnis mortificationes.

4. Manet itaq; pœna donec manet odium sui, id est, pœnitentia
vera intus, scilicet usq; ad introitum Regni cœlorum.

5. Papa non vult, nec potest ullos pœnas remittere, præter eas,
quas arbitrio vel suo vel Canonum imposuit.

6. Papa non potest remittere ullam culpam, nisi declarando &
approbando remissam à Deo, Aut certe remittendo casus re-
servatos sibi, quibus contemptis culpa prorsus remaneret.

7. Nulli prorsus remittit Deus culpam, quia simul cum subji-
ciat humiliatum in omnibus, Sacerdoti suo Vicario.

8. Canones pœnitentiales solum viventibus sunt impositi, nihil-
que morituris secundum eosdem debet imponi.

9. Inde benè nobis facit Spiritus Sanctus in Papa excipiendo in
suis Decretis semper articulum mortis & necessitatis.

10. Indoctè & male faciunt sacerdotes ii, qui morituris pœni-
tencias canonicas in Purgatorium reservant.

11. Zizania illa de mutanda pœna Canonica in pœnam purga-
torii, videntur certe dormientibus Episcopis seminata.

12. Olim pœna Canonica non post, sed ante absolutionem impo-
nebantur, tanquam tentamenta vera contritionis.

A 2

13. Mo.

E N'S.

13. Morituri per mortem omnia solvunt, & legibus Canonum mortui jam sunt, habentes jure earum relaxationem.
14. Imperfecta sanitas seu charitas, morituri necessario secum fert magnum timorem, tantoq; majorem, quanto minor fuerit ipsa.
15. Hic timor & horror, satis est se solo, ut alia taceam, facere pœnam purgatorii, cum sit proximus desperationis horrore.
16. Videntur infernus, purgatorium, cœlum differre, sicut desperatio, propè desperatio, securitas differunt.
17. Necessarium videtur animabus in purgatorio sicut minui horrorem, ita augeri charitatem.
18. Nec probatum videtur ullis aut rationibus aut scripturis, quod sint extra statum meriti, seu agenda charitatis.
19. Nec hoc probatum esse videtur, quod sint de sua beatitudine certa & secure, saltem omnes. licet nos certissimi simus.
20. Igitur Papa per remissionem plenariam omnium pœnarum, non simpliciter omnium intelligit, sed à se ipso tantummodo impositarum.
21. Errant itaque indulgentiarum commissarii, qui dicunt, per Papæ indulgentias hominem ab omni pœna solvi & salvare.
22. Quin nullam remittit animabus in purgatorio, quam in hac vitâ debuissent, secundum canones solvere.
23. Si remissio ulla omnium omnino pœnarum, potest alicui dari certum est, eam non nisi perfectissimis, id est paucissimis dari.
24. Falli ob id necesse est, Majorem partem populi, per indifferentem illam & magnificam pœna solum promissionem.
25. Qualem potestatem habet Papa in purgatorium generaliter, Talem habet quilibet Episcopus & Curatus in suâ Diocœsi & Parochiâ specialiter.
26. Optime facit Papa, quod non potestate clavis, (quam nullam habet) sed per modum suffragii dat animabus remissionem.
27. Ho-

27. Hominem pradicant, qui statim ut jaetus nummus in ci-
stam tinnierit, evolare dicunt animam.
28. Certum est nummo in Cista tinniente, augeri quastum & a-
varitiam posse, suffragium autem Ecclesia est in arbitrio Dei
solius.
29. Quis scit, si omnes anima in purgatorio velint redimi,
sicut de S. Severino & Paschasio factum narratur.
30. Nullus securus est de veritate sua contritionis. Multo mi-
nus de consecutione plenaria remissionis.
31. Quam rarus est verè poenitens, tam rarus est verè indulgen-
tias redimens, id est, rarissimus.
32. Damnabuntur in aeternum cum suis Magistris, qui per lite-
ras veniarum securos sese credunt de sua salute.
33. Cavendi sunt nimis, qui dicunt venias illas Papa, donum
esse illud Dei inestimabile, quo reconciliatur homo Deo.
34. Gratia enim illa veniales tantum respiciunt poenas satisfa-
ctionis sacramentalis, ab homine constitutas.
35. Non Christiana pradicant, qui docent, quod redempturis a-
nimas vel Confessionalia, non sit necessaria contritio.
36. Quilibet Christianus verè compunctus habet remissionem
plenariam à poena & culpâ, etiam sine literis veniarum si-
bi debitam.
37. Quilibet Christianus verus sive vivus sive mortuus, habet
participationem omnium bonorum Christi & Ecclesia, etiam
sine literis veniarum à Deo sibi datam.
38. Remissio tamen & participatio Papa, nullo modo est con-
temnenda, quia, uti dixi, est declaratio remissionis divina.
39. Difficillimum est etiam doctis Theologis, simul extol-
lere veniarum largitatem & contritionis veritatem coram
populo.
40. Contritionis veritas poenas quærit & amat; Veniarum au-
tem largitas relaxat, & odisse facit, saltem occasione.

41. Cautè sunt venia Apostolica predicanda, ne populus falso intelligat, eas præferri ceteris bonis operibus charitatis.
42. Docendi sunt Christiani, quod Papa mens non est, redemptionem veniarum ulla ex parte comparandam esse operibus misericordie.
43. Docendi sunt Christiani, quod dans pauperi, aut mutuans egenti melius facit, quam si venias redimeret.
44. Quia per opus charitatis crescit charitas, & fit homo melior, sed per venias non fit melior, sed tantummodo à pœna liberior.
45. Docendi sunt Christiani, quod qui videt egenum, & neglecto eo, dat pro veniis, non indulgentios Papa, sed indignationem Dei sibi vendicat.
46. Docendi sunt Christiani, quod nisi superfluis, abundant, necessaria tenentur Domui suæ retinere, & nequaquam propter venias effundere.
47. Docendi sunt Christiani, quod redemptio veniarum est libera, non præcepta.
48. Docendi sunt Christiani, quod Papa sicut magis eget, ita magis optat in veniis dandis pro se devotam orationem, quam promptam pecuniam.
49. Docendi sunt Christiani, quod venia Papa sint utiles; si non in eas confidant, sed nocentissima, si timorom Dei per eas amittant.
50. Docendi sunt Christiani, quod si Papa nosset exactiones venialium prædicatorum, mallet Basilicam S. Petri in cineres ire, edificari cute carne & ossibus ovium suarum.
51. Docendi sunt Christiani, quod Papa sicut debet, ita vellet, etiam vendita, si opus sit, Basilica S. Petri de suis peccuniis dare illis, à quorum plurimis quidam Concionatores veniarum pecuniam eliciunt.
52. Vana est fiducia salutis per literas veniarum, etiamsi commissarius, imo Papa ipse suam animam pro illis impignoraret.

53. Hostes

53. Hostes Christi & Papa sunt ii, qui propter venias predicandas, Verbum Dei in Ecclesiis penitus silere jubent.
54. Injuria fit verbo Dei, dum in eadem sermone aequale vellongius tempus impenditur veniis, quam illi.
55. Mens Papa necessario est, quod si venia, quod minimum est, una campana, unis pompis & ceremoniis celebrantur. Evangelium, quod maximum est, centum campanis, centum pompis, centum ceremoniis judicetur.
56. Thesauri Ecclesiae, unde Papa dat Indulgentias, neque satis nominati sunt, neque cogniti apud populum Christi.
57. Temporales certe non esse patet, quod non tam facile eos profundunt, sed tantummodo colligunt multi concionatorum.
58. Nec sunt merita Christi & Sanctorum, quia huc semper sua Papa operantur gratiam hominis interioris, & crucem, mortem infernumque exterioris.
59. Thesaurus Ecclesiae S. Laurentius dixit esse pauperes Ecclesiae, sed locutus est usu vocabuli suo tempore.
60. Sine temeritate dicimus, claves Ecclesiae, merito Christi donatas esse thesaurum istum.
61. Clarum est enim, quod ad remissionem paenarum & casuum, sola sufficit potestas Papa.
62. Verus Thesaurus Ecclesiae est sacrosanctum Evangelium, gloria & gratia Dei.
63. Hic autem est merito odiosissimus, quia ex primis facit novissimos,
64. Thesaurus autem Indulgentiarum merito est gratisissimus, quia ex novissimis facit primos.
65. Igitur thesauri Evangelici retia sunt, quibus olim piscabantur viros divitiarum.
66. Thesauri Indulgentiarum retia sunt, quibus nunc piscantur divites virorum.

67. In-

67. Indulgentia, quas Concionatores vociferantur maximas gratias, intelliguntur verè tales, quod ad questum promovendum.
68. Sunt tamen revera minima, ad gratiam Dei & crucis pietatem comparata.
69. Tenentur Episcopi & Curati veniarum Apostolicarum commissarios cum omni reverentia admittere.
70. Sed magis tenentur omnibus oculis intendere, omnibus auribus advertere, ne pro commissione Papa, sua illi somnia pradicent.
71. Contra veniarum Apostolicarum veritatem qui loquitur, sit ille anathema & maledictus.
72. Qui vero contra libidinem ac licentiam verborum Concionatoris veniarum curam agit, sit ille benedictus.
73. Sicut Papa justè fulminat eos, qui in fraudem negotii veniarum quacunque arte machinantur.
74. Multo magis fulminare intendit eos, qui per veniarum pretextum in fraudem sanctæ charitatis & veritatis machinantur.
75. Opinari venias papales tantas esse, ut solvere possint hominem, etiamsi quis per impossibile Dei genetricem violasset, est insanire.
76. Dicimus contra, quod venia papales nec minimum peccatorum tollere possint, quo ad culpam.
77. Quod dicitur, nec si S. Petrus modo Papa esset, majores gratias donare posset, est blasphemia in S. Petrum & Papam.
78. Dicimus contra, quod etiam iste & quilibet Papa, majores habet, scilicet Evangelium, virtutes, gratias curationum &c. ut, 1. Cor. XI.
79. Dicere crucem armis papalibus insigniter erectam, cruci Christi equi valere, blasphemia est.
80. Rationem reddent Episcopi, Curati & Theologi, qui tales sermones in populum licere sinunt.

81. Facit hac licentiosa veniarum predicatio, ut nec reverentiam Papae, facile sit, etiam doctis viris, redimere à calumniis. aut certe argutis questionibus laicorum.
82. Scilicet cur Papa non evacuat Purgatorium propter sanctissimam charitatem, & summam animarum necessitatem, ut causam omnium justissimam, si infinitas animas redimit propter pecuniam funestissimam ad structuram Basilicae, ut causam levissimam.
83. Item, cur permanent exequia & anniversaria defunctorum, & non reddit, aut recipi permittit Beneficia pro illis instituta, cum jam sit injuria pro redemptis orare.
84. Item, quae illa nova pietas Dei & Papae, quod impio & inimico propter pecuniam concedant animam piam & amicam Dei redimere. Et tamen propter necessitatem ipsiusmet pie & dilectae animae, non redimunt eam gratuita charitate?
85. Item, cur Canones poenitentiales, re ipsa & non usu, jam diu in semet abrogati, & mortui, adhuc pecuniis redimuntur per concessionem Indulgentiarum, tanquam vivacissimi?
86. Item, cur Papa, cujus opes hodiè sunt opulentissimis Crassis crassiores, non de suis pecuniis magis, quam pauperum fidelium, struit unam tantummodo Basilicam S. Petri?
87. Item, quid remittit aut participat Papa iis, qui per contritionem perfectam, jus habent plenariae & remissionis & participationis?
88. Item, quid adderetur Ecclesiae boni majoris, si Papa, sicut semel facit, ita centies in die cuilibet Fidelium has remissiones & participationes tribueret?
89. Ex quo Papa salutem querit animarum per venias magis, quam pecunias. Cur suspendit literas & venias jam olim concessas cum suis aequae efficaces.

90. *Hac scrupulosissima laicorum argumenta solâ potestate compefcere, nec reddita ratione diluere, est Ecclesiam & Papam hostibus ridendos exponere, & infelices Christianos facere.*

91. *Si ergo venia secundum Spiritum & mentem Papa predicarentur, facile illa omnia solverentur, imò non essent.*

92. *Valeant itaque omnes illi Prophetae, qui dicunt populo Christi, Pax, pax; & non est pax.*

93. *Bene agunt omnes illi Prophetae, qui dicunt populo Christi, Crux, crux & non est crux.*

94. *Exhortandi sunt Christiani, ut caput suum Christum per pœnas, mortes, infernosq; sequi studeant.*

95. *Ac sic magis per multas tribulationes intrare cœlum, quàm per securitatem pacis confidant.*

H Astheses, Lector optime, repetita editione tuis consecramus usibus, quippe quas insigni cum lætitia ante centum & sexaginta octo annos hæc Academia legit, magnaque cum admiratione patrocinium earum ex Megalandri ore acceperunt Patres & Cives Academici; majori autem cum exultatione virtutem earum sensit universa Christi Ecclesia. En! habes in iis phosphorum prævium subsecutæ felicitatis, quæ omnium terrenas longè superat, & quam nobis propriam atque perpetuam esse jubeat SS. Trinitas. Illud autem nulli negare possumus multis eum adhuc tenebris esse circumfusum; deprehendas id expurgatorii satisfactionumq; humanarum figmento, nimiaq; autoritatis Pontificiæ elevatione &c. Pace tua id scribo, B. Parens, cum tua me id ipsum autoritas jubeat, Tom. I. Opp. Germ. Jen. fol. 2. Für allen Dingen bitte ich den Christlichen Leser/und bitte ihn umb unsers H. Erren Jesu Christi willen/das er meine erste Bücher ganz bedächtlich/auch mit grossen Mitleiden wolle lesen/und wissen/das ich vor
dieser

dieser Zeit auch ein Mönch / und der rechten unsinnigen /
rasenden / (für grosser heuchelischer Andacht und Geistlich-
keit) Papisten einer gewesen bin / da ich diese Sache (wider
den Ablass) anfinge / so voll und truncken / ja so gar er sofften
in des Pabsts Lehre / daß ich für grossen Eiffer bereit wäre
gewesen / wenns in meiner Macht gestanden / zu ermor-
den / oder hätte ja zum wenigsten gefallen daran gehabt /
und dazu geholffen / daß ermordet wären worden alle die /
so dem Pabst in die geringsten Syllaben nicht hätten wol-
len gehorsam und unterworfen seyn. Und wiederum :
Daher / Christlicher Leser / wirstu in meinen ersten Schrif-
ten und Büchern finden / wieviel Artikel ich dem Pabst
dazumal mit grosser Demuth nachgelassen und eingeräu-
met habe / welche ich hernachmahls für die schrecklichsten
Gotteslästerungen und Greuel gehalten und verdammet
habe und in Ewigkeit gehalten und verdammet will habē /
Amen. Wollest derohalben diesen meinen Irthumb /
oder / wie es die Widersacher giftig deuten / ungleiche Res-
de / der Zeit und meiner Unwissenheit und Unerfahrung
zumessen. Ich war erstlich gar allein ohn alle Schülffen /
und dazu (die Wahrheit zu sagen) aller Ding ungeschickt /
und viel zu ungelahrt solche hohe wichtige Sachen zu han-
deln / denn ich bin ja ohn alle meinen Vorsatz / Gedanken
und Willen / ganz unversehens in diesen Zank und Ha-
der gerathen / des nehme ich Gott aller Herzenskündiger
zu Zeugen. Neq; vero inconstantia probro proscinden-
da erit hæc opinionum mutatio, ceu ex mera conviciandi li-
bidine asserunt adversarii, nominatim autem Cochleus in
Luthero Septicipiti, Jodocus Coccinus in Antilogiis Lutheri,
Pistorius in Anatomia Lutheri, Autor des Evangelischen
Wetterhahns / Vetter un unschuldige Luther alique; quid?
Calvinianos etiam hanc nobis inconstantiam Lutheri obji-

cere non erubescere illi asserunt nobisque illos committere
 intendunt; ita enim ex *Parao Lojolita Conzen. l. 6. Politic.*
cap. XXIII. p. m. 396. Nec sumo mihi iudicium de tanto viro,
& Dei adversus Papatum singulari organo. Saltem quantum
ad hanc questionem, dicam id, quod non semel interrogatus re-
spondi, quodque scripta ejus & historia comprobant, Luthe-
rum a Luthero distinguendum esse. Homo enim fuit,
in contentione ferventior saepe (quod magnis ingeniis con-
tingere solet) quam circumspectior, aut veri rectique servantior.

Augustinianum amplectere: ad Annum - 24

Synecdochistam ne tene: ad Ann. 29

Concordiam ejus suscipe ad annum 43

At parva confessum fuge ad annum 44

Rursus fatentem sustine ad ann. 46

Reliquas hostium criminationes circa objectam incon-
 stantiae labem transeo. Sed distingvere debebant hi ho-
 mines inter errorum ex majori illuminationis gradu profi-
 ciscentem improbationem & veritatis semel agnitae palino-
 diam; priorem in Luthero admittimus & virtutis loco hanc
 habemus inconstantiam; posteriorem verò negamus atque
 pernegamus. Neque mediata illuminatio, qualem beato
 Parenti tribuimus, atque ipse de se professus est, priorem
 excludit; id quod ante miraculosam Spiritus Sancti effusio-
 nem exemplo Apostolorum clarum est: optime hinc cau-
 sae suae adfuit B. Lutherus T. II. Jen. p. 133. *Wenn der Kö-
 nig will / daß ich wieder mich selbst geschrieben habe in denen
 Stücken / die ein Christlich Leben und die Heil. Schrift betref-
 fen / so läuget er / soll mirs auch nicht beybringen / das biete ich
 ihm Trost und Recht / sondern ich will diese Lügen ihm beybrin-
 gen mit allen Büchern und Lesern in der Welt / meinet er aber /
 daß ich in denen Stücken wieder mich geschriebē habe / die ausser
 der Schrift seind / als da ich zuvor den Pabst / Ablass / Mens-
 schen*

sehen Lehre / Messen für etwas habe gehalten / und darnach
verworffen / so weiß er noch nicht / woz wiederspenstige Lehre heisset.
Denn das heisset nicht wiederspenstig gelehret / wenn jemand et-
was anders hernach hält / den er zuvor gehalten hat / und selbst
das bekennet / wie ich thue. Sonst müssen S. Paulus Epis-
teln alle verdammt seyn / den er gleich das Widerspiel lehret
nach seiner tauffe / das er zuvor hielte / da er die Kirche verfolgte.
Sonst müste S. Augustini Buch Retractationum verdammet
seyn mit allen seinen besten Büchern. Vide quæ in apologiæ
usum scripserunt Beati Patris *Theologi VVürtembergici* in
Tract. Germanico: Christlicher / bescheidentlicher und gründ-
licher Bericht über das Laster / Buch Pistorii, welches er Ana-
tomiam genennet; & D. Luca Osiandri tract. fernere Beweis-
ung / daß Pistorius nicht aus Zwang seines Gewissens und
rechtmässigen Ursachen vom Heil. Evangelio zum Pabst-
thumb abgefallen / ut & B. Mülleri Lutherum Defensum C.
21. von D. Luthers Unbeständigkeit. Satis autem ob Zelum
erga sanctissimi Redemptoris meritum ob animi magnitudi-
nem, ob mirandum denique, quem singulari Divini Nu-
minis beneficio sortitæ sunt, eventum theses has commen-
dare non possumus. His etenim omnis nostra debetur fe-
licitas.

QVÆST. I.

*Quæ causæ Lutherum ad scribendas
has Theses impulerint?*

INvidiam in Dominicanos Pontificii obtendunt, quod
posthabito Augustinianorum ordine, cui propria alias e-
rat hæc nundinatio, Dominicani ordinis Monacho Teze-
lio illam concessisset Albertus Archiepiscopus Moguntinus;
neque parum excitasse ad hoc classicum D. Friderici Electo-
ris

ris Sax. Academia hujus fundatoris gloriosiss. monita, quippe cui cum Alberto similtas intercedebat.

Exponam id verbis in Gallia Narbonensi Episcopi *Henrici Spondani* (quæ & *Cutseni* in Saxonia Catholica & *Florimundi Ramundi* de Orig. Hæres. Bellarmini aliorumq; criminationes in compendio referunt To. II. Annal. Ecclesiastic. ad Ann. 1517. n. 15.

Promulgaverat Leo Pontifex largissimas indulgentias bello Turcis inferendo & templo Vaticano Sancti Petri construendo, ut quicumque aliquid in eos usus erogaret, veniam peccatorum amplissimam consequerentur. Eique negotio in Germania præfecerat Albertum Archiepiscopum Moguntinum: qui ad prædicandas illas indulgentias Johannem Tetzelium Pirnensem Misnicum delegit Fratrem Ordinis Dominicani, qui nuper simili occasione prædicationibus suis magnam pecuniam acquisierat militibus Teutonicis adversus Muscovitas & alios hostes. Id agre admodum ferentibus Augustinianis Eremitis, qui longo jam tempore id muneris obire consueverant; imprimis Joannes Staupitius, ejus ordinis per Germaniam Vicarius generalis, Vir nobilis, eruditus, atque facundus, & Martinus Lutherus Lector Ordinarius Wittembergæ, occasione sumta non parvorum abusu, qui in his indulgentiis, per imprudentiam & avaritiam committi soliti erant; in ejusmodi abusus invehi incipientes, pro concione populum admonuere, ne se quæstorem svasionibus deludi sumerent: protegente eos atque etiam hortante Friderico Electore Saxonie pio quidem illo & Catholico tunc Principe, sed quod eos cerneret non parum claritudinis recenti suæ Academiae afferre propensiore in eos affectu; atque etiam iniquiori aliis de causis in Albertum Moguntinum animo. Quare negotium Staupitio in Lutherum ambitione tumidum refundente

dente, is præter frequentes & acerrimas contra Indulgentiarum promulgatores conciones, quibus populos à pecuniarum pro iis consequendis largitione retrahebat, manum etiam calamo admoventem, ultimo Octobris hujus anni, tum ad Albertum Archiepiscopum literas scripsit rogans, ut ejusmodi declamatores cohibens, qui docerent infelices mortales, si literas indulgentiarum redimerent; eo ipso securus se esse de salute sua, rectum eis præscriberet docendi modum, ne populus ea fiducia deceptus à veris pœnitentiæ fructibus, atque pietatis officiis avocaretur: tum vero theses sive propositiones numero quinque & nonaginta ad eundem misit, simul & illas affigens valvis Ecclesiæ Wittebergicæ, quibus jam non solum prædicatorum & collectorum abusus, & collectarum pecuniarum, quæ immensæ erant in alios omnino usus, quam quorum nomine exigebantur & aliquando, ut prædicabatur, infames, destinationem carpebat; verum etiam communem & receptum ab Ecclesia Indulgentiarum usum impugnabat, ac Rom. Pontificum in iis concedendis auctoritatem in dubium vocabat, nec non quæ ad Sacramentum pœnitentiæ & purgatorium spectant, vellicabat, fidemque specialè adstruebat. *Hæc Spondanus.*

At illum non ex carnis quodam vitioso affectu ad subeundum bellum hoc fuisse incitatū, sed potius zelo erga Deum & amore veritatis, quippe qui dolebat a pertis adeo imposturis hominum gentem deludi, compulsus, ut fratres inter se committam, domesticis probabo testimoniis. Accipe *Alphonsi à Castro* l. 2. adversus Hæreses verba, sub vocabulo Absolutio. *Lutherus*, inquit, *ab indulgentiis suorum errorum auspiciis sumsit.* Nam cum rabulas quasdam Indulgentiarum prædicatores audisset, qui tot ac tanta (ut hujus farina homines solent causa majoris questus effutire) de indulgentiis dixerunt, ut illis obviandum fore decerneret; Zelo, sed non secundum

ad discretionem, motus in publicum prodiit. Neque aliter rem refert Laurentius Surius, qui in appendice ad Chronicon Naucleri Jen. II. col 566. quem ipsum quæso audias. Quia interdum non parvi abusus ejusmodi indulgentiis evulgandis sese immiscuerant, inde sumta occasione Lutherus primam in indulgentiarum immodicos quosdam & sordidos suo duntaxat quaestui inservientes buccinatores acriter invehit, &c. In ipsis hujus Tragædiae initiis visus est Lutherus etiam plerisque viris gravibus & eruditis non pessimo telo moveri, planeque nihil spectare aliud, quam Ecclesie reformationem, cujus quidam deformes abusus non parum male habebant bonos omnes.

Et Episcopus Tornacensis, epistolæ Pastoralis ad fideles diocesis Tornacensis de cultu beatissimæ Virginis Mariæ & aliorum Sanctorum, occasione libelli, cujus titulus est: Monita salutaria B. Virginis Mariæ ad cultores suos indiscretos Insulis ex officina Nicolai de Rache p. 8. Sane si Lutherus Ecclesie Catholicæ Presulibus tantum aperuisset, quæ circa indulgentias peccabantur, laudandus plane erat ipsius zelus, coercendi fuerant ii, qui concessis ad bonum Ecclesie Indulgentiis per summam & ad omne scelus projectam audaciam impudentissime abutebantur. Hoc deinceps fecit sanctissima Tridentina Synodus. Ve qui dicitis malum bonum & bonum malum, ponentes tenebras lucem & lucem tenebras. Indulgentiarum nundinatio damnanda erat etiam tempore Lutheri, & quæ super ea re reformanda monuit, reformari debuerunt

QUÆST. II.

Quis Tezelius, adversus quem hæ scriptæ theses sunt; quæque ejus Indulgentiarum diplomata?

Tezelius, si patriam spectes, Pirnensis erat, non ignobili Misniæ oppido oriundus, si vitæ genus, religiosus & ordinis
qui-

quidem Dominicanorum; si mores, flagitiosissimus: namque
eum in adulterio deprehensum aquis suffocari voluit Oeni-
ponti Maximilianus Imperator; nisi preces intervenissent
Friderici Electoris; homo ingeniose nequam & in omnibus
deludendis felix, vaferimus, impudentissimi oris, ut nemi-
nem magis idoneum ad suscipiendas nundinationis partes
judicaverit Albertus Archi-episcopus Moguntinus, eumque,
ut tanto major ipsi conciliaretur auctoritas, Commissarii
Apostolici & hæreticæ pravitatis Inquisitoris nomine dona-
verit. Neque suo defuit officio, sed crumenas sub spe con-
cedendæ indulgentiæ admodum exhausit. Accipite Diplo-
mata & literas Indulgentiales, quas suis eo fini distribuit em-
toribus; illarumque authentica & priorū quidem, Bibliotheca
servat Lipsiensis Academica, ultimarū Tigurina. Sic a. incipit:
Joh. Angelus Arcimbaldus J. U. Doct. Præpositus de Arcifate,
Protonotarius & Referendarius Apostolicus, nec non ad Co-
loniensem, Treverensem, Salzburgensem, Bisuntinensem,
Bremensem, ac Uspulensem, provincias illarumque ac Ca-
meracensem, Tornacensem, Morinensem, Attrebatensem,
Caminensem & Misnensem civitates & diœceses, super ex-
ecutione plenissimarum indulgentiarum immensæ fabricæ
basilicæ Principis Apostolorum cœlorumque Clavigeri de ur-
be Nuncius & Commissarius, à Sanctissimo in Christo Pa-
tre & Domino nostro, D. Leone Papa X. specialiter depu-
tatus, prout in literis ejusdem sanctissimi Domini nostri
Papæ sub plumbo editis, plenius continetur, dilecto nobis
in Christo *Andrea Hummelshayn* salutem in Domino sempi-
ternam.

Exigente piæ devotionis affectu, quem nos erga Deum,
& dictam basilicam te habere cognovimus, eò quod pro
continuatione tam immensi operis ex pingvedine charita-
tatis juxta Apostolicum indultum manus porrexisti adnutri-

C ces

ces. Ideò autoritate Apostolica nobis tradita * te concedimus facultatem eligendi idoneum secularem, vel cuiusvis etiam mendicantium ordinis regularem confessorum, qui confessione tua diligenter auditâ, pro commissis per te excessibus, criminibus, delictis atque peccatis quantumcunque gravibus & enormibus, etiam sedi Apostolicæ reservatis, etiam si talia forent, propter quæ sedes ipsa Apostolica esset merito consulenda, ac censuris Ecclesiasticis, etiam ab homine ad alicujus instantiam latis, de consensu partium etiam ratione interdicti incurris, & quorum absolutio dictæ Sedi esset reservata, præterquam machinationis in personam summi Pontificis, occisionis Episcoporum & aliorum superiorum Prælatorum, & injectionis manuum violentarum in illos & alios Prælatos, Falsificationis bullarum & literarum Apostolicarum, Delationis armorum & aliorum prohibitorum ad partes infidelium, & sententiarum & censurarum occasione aluminum sanctæ matris Ecclesiæ, ac de partibus infidelium ad fideles, contra prohibitionem Apostolicam, delatorum incurfarum semel in vita, & in non reservatis casibus toties, quoties id petieris & in mortis articulo plenariam omnium peccatorum tuorum indulgentiam & remissionem impendere, ac pænitentiam salutarem injungere, nec non Evcharistiæ Sacramentum, præterquam in die Paschæ, & in mortis articulo aliis anni temporibus ministrare, & emissa per te vota quæcunque ultramarina ingressus religionis, & castitatis notis duntaxat exceptis in utilitatem dictæ fabricæ commutare possit. Ita tamen, quod durante tempore præsentis commissionis & publicationis, cum præfato Commissario, vel Subdeputatis ab eo semper

* Ita contra Syntaxin habet litera diplomatis: cui, cætera omnia impresso Tezelius nomen petitoris indulgentiarum, & pronomina applicationis te, tuorum, tibi, tuis manu sua inscripsit.

commutatione dictorum votorum in utilitatem dictæ fabricæ fiat compositio, nec non tibi & parentibus, ceterisque defunctis tuis, qui in sinceritate fidei & unitate sanctæ matris Ecclesiæ decesserunt omnium & singularum Missarum, Orationum, divinorum officiorum, jejuniorum, disciplinarum, stationumque, eleemosynarum, suffragiorum, omniumque bonorum Spiritualium, quæ fiunt, & fient, in perpetuum in universali Sacrosanctâ militante Ecclesia, & membris ejus participationem impartimur. In quorum fidem & testimonium præsentis fieri, & sigilli, quo in talibus utimur, fecimus appensione muniri. Datum in Wortzen, An. M.CCCCC, XVI. die 24. Mens. Apr. Pontificatus præfati sanctissimi Domini nostri, Anno 4.

Forma absolutionis plenariæ, præmissa confessione. Misereatur tui, &c. §. Dominus noster JESUS CHRISTUS per merita suæ sanctissimæ passionis te absolvat, & ego auctoritate ejusdem, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, & sanctissimi Domini nostri Papæ tibi concessa, & in hac parte mihi commissa te absolvo: primo ab omnibus censuris Ecclesiasticis per te quomodolibet incurris: deinde ab omnibus peccatis, delictis & excessibus tuis hætenus per te commissis quantumcunque enormibus, etiam sedi Apostolicæ reservatis, in quantum claves sanctæ matris Ecclesiæ se extendunt, remittendo tibi per plenariam indulgentiam omnem pœnam in purgatorio pro præmissis tibi debitam, & restituo te sanctis sacramentis Ecclesiæ, & unitati fidelium ac innocentia & puritati, in qua eras, quando baptizatus fuisti, ita quod tibi decedenti clausæ sint portæ pœnarum, & sint aperta janua Paradisi deliciarum, quod, si non morieris salva sit ista gratia, quando alias fueris in mortis articulo. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Fr. Johannes Tetzl,
Subcommissarius manu propria scripsit.

DEVOTIS & in Christo Jesu sibi dilectis Petro
Currificis & Anne uxori ejus: nos Bartho-
lomeus ordinis Predicatorum immeritus Prior,
salutem & divinae gratiae incrementum salutare.
Quia pia nostra devotionis affectus, quam prae-
cipue ad nostrum geritis ordinem, condigna exigen-
tia requirit beneficia nostro collata ordini à piissi-
ma clementia Salvatoris vobis gratiosius impar-
tiri. Quapropter vobis omnium missarum, o-
rationum, praedicationum, vigiliarum, abstin-
tiarum, jejuniorum, laborum, ceterorumque bo-
norum operum, quae per fratres nostri conventus
Dominus noster Jesus Christus fieri dederit, parti-
cipationem concedo tenore presentium in omnibus
specialem, in vita pariter & in morte, ut multipli-
ce suffragiorum praesidio, & hic augmentum gra-
tiae, & in futuro mereamini aeternae vitae premium
feliciter possidere. Volo insuper & ordino, ut a-
nimae vestrae, post decessum vestrum, fratrum no-
strorum recommendentur orationibus, si obitus
vestri

uestri nobis fuerint nunciati. In quorum omni-
um fidem & testimonium sigillum mei Prioratus
officii presentibus duxi imprimendum. Datum
Feria tertia post Lamperti A. D. 1516. Job. Te-
zel &c.

Non possum mihi temperare, quin lepidam referam hi-
storiam, quomodo impostor hic fraudulentioris alius ho-
minis deceptus fuerit artibus. Commemorat eandem Hot-
tingerus T. VII. Histor. Ecclesiastic. p. 535. scilicet nobilem
quendam indicasse Tezelio, in animo se habere, quod vellet
magnum aliquod facinus designare, & in futurum eius pecca-
ti petiisse indulgentiam. Et Tezelium magna quidem pecu-
nie summa illam licitatum, nobilem tamen, numerata illa pe-
cunia, bullam accepisse. Postea nobilem illum, captata occa-
sione, in sylva quadam effractis indulgentiarum cistis spoliasse.
Cumq; Tezelius omnes ipsi diras minitaretur, nobilem ipsi osten-
disse bullam Indulgentiarum tam magno redemptam, & cum
risu addidisse: Hoc erat peccatum illud, quod in animo ha-
bebam, à quo jam in optima forma absolutus.

QVÆST. III.

Quæ fata fuerint harum thesium?

CRedi vix, multo minus dici potest, quanto ausu Papales
furie his thesibus se opposuerint. Tezelius aut potius,
qui sub ipso latet, Conradus **V**impina centum & sex propo-
sitiones Francofurti ad Oderam his objecit & in præsentia
trecentorum monachorum defendit; quas rogo studiosi
Wittebergenses adjudicarunt, postquam programmate val-
vis Academicis affixo reliquos commilitones ad funus the-
sium

frum Tezelianarum invitassent. Anathemate notavit eas
Leo X. Papa; & incineres una cum reliquis Lutheri scriptis
redegit. Quam injuriam ita generose ultus est Lutherus,
ut presentibus civibus Academicis hic Wittebergæ extra
portam Elstrinam & Leonis bullam & juris Canonici corpus
flammis daret admodum solemnibus. Ceterum hancce i-
psam Lutheri Disputationem tam duriter à Pontifice fuisse
habitam, nec locum invenisse ullum ipsi ex Pontificiorum
ordine prudentiores & cordatiores improbant. Testem da-
bimus antea citatum Spondan. *atq; ita*, inquit in Annal. p. 328.
*ex his scintillis eruperunt ingentes illa flamma, quibus magna
orbis pars postmodum conflagravit: quæq; potuissent fortassis, aut
revocatione ejusmodi pecuniarum exactionis (quæ nihil propter
hec cessavit, sed potius crevit) vel aqua modica aspersione re-
stingui, nisi acriori succensorum concursu vehementiores vires
accepissent. Quod & agnovit, fassusque dolens est insignis pru-
dentia, pietatis, & doctrina Cardinalis Sadoletus, egregia ad
Georgium Saxonie Ducem Catholicum scripta postmodum epi-
stola, dicens: multa facta in hac causa à parte Catholica esse
parum accommodata temporibus illis: nam neque ea, quæ huic
malo apta poterant afferi remedia, ulla allata esse, nec vocem
auditam bene monentium & suadentium, ut quæ mansuetudi-
ne & à quibusdam rebus abstinentia, temperantiaque poterant
vulnera sanari, ea ne ferro & asperioribus quasi medicamentis
incrudescente cogerentur.* Apologiam autem harum thesium
adversus Tecelium, Eccium, Hochstraaten aliosque habes
T. II. operum Lutheri Altenburg. Subjiciam adhuc duas
quæstiones coronidis loco, quas Scholastici Magistrales di-
cerent, i. quomodo imputationem Justitiæ Christi levare
possint Pontificii; & imputationem indulgentiarum defen-
dere?

II. Quo-

II. Quomodo indulgentiis possint adscribere liberatio-
nem ab omni poena, cum tamen Purgatorio igni subjiciant
animas indulgentialibus instructas. Claudat discursum hunc
Wolfgang. Musculus festiva hac naratione in Loc. Comm.
p. 362. Quum initio cursus sui Lutherus contra Romanas in-
dulgentias disputare coepisset, eo quod Leo tum Pontifex
monachum quendam cum indulgentiarum suarum merci-
bus passim in Germania distrahendis misisset, & omnium
peccatorum expiationem & aeternam salutem omnibus illas-
ementibus polliceretur simulq; indultum vescendi carne,
caseo, lacte & ovis pro pretio venderet. Id factum est An.
1517. qui aetatis meae vigesimus, accidit Haganorae, ut calcea-
rii cujusdam uxor ejusmodi indulgentiarum diploma sibi
dato aureo compararet, quo de salute sua certior esset, & i-
gnem purgatorium, mox ubi corpore exuta & ad coelestia
translata esset, evaderet. Id enim diploma illud sub plena
vicarii Christi potestate promittebat. Paulo post coepit mu-
lier lethaliter aegrotare: & quoniam de vita hac praesenti
desperabat, accersito ad se monacho euidam Pontificiorum
diploma proponit, factaque peccatorum suorum ex omolo-
gesi plenariam illorum absolutionem ex pontificia potesta-
te accipit, illaque accepta moritur. Maritus quoniam aegre-
tulerat, quod uxor aurum pro diplomate indulgentiario
dedisset, de mortuae quidem corpus telluri mandat, verum
quae in Ecclesia pro redimenda ipsius anima ex more facien-
da erant, constanter dissimulat, ac negligit. Plebanus ejus-
loci, ubi id intellexisset, moleste ferens, accusat calcearium
apud praefectum, quod contemtor esset Christianae religionis
& in defunctam uxorem impius. Calcearius vocatur ad
Praefectum, vocatus assumpto secum Pontificio diplomate
comparat. Praefectus ad illum: mortua est tua uxor, in-
quit

4871 01
quit? respondit calcearius: mortua est: quid fecisti mortuæ,
inquit Præfectus? sepelivi, inquit, corpus illius mortuum, ani-
mam Deo commendavi. Adhæc præfectus: nihil præterea
fecisti? Non curasti, ut ad liberationem animæ ipsius cele-
brentur Missæ? ille, non curavi, inquit, quia non habeo
opus, ut loeraretur per Missas, cum sit mox ad cœlestia
translata. Præfectus: ad cœlestia translata inquit? unde
hoc tibi constat? merito id mihi constat, inquit ille, quum
eade re fidum habeam testimonium. Testimonium habes,
idque fide dignum, inquit Præfectus, quod uxor tua jam sit in
cœlo? ostende hoc testimonium. Calcearius mox pro-
latum Pontificis Diploma exhibet Præfecto, petitq; ut lega-
tur. Is acceptum diploma legendum dat Plebano, qui hanc
ob causam tanquam accusator aderat ipse. Hic conspecto
Pontificio diplomate, primo obstupescit ac legere detrectat.
Adactus tandem à Præfecto legit. Lecto illo, pudefacti am-
bo, & Præfectus & Plebanus nihil habent, quod contra di-
cere ausing. Tum calcearius, pronunciate vos ipsi, inquit,
satisne fide dignum testimonium habeam, de anima uxoris
meæ, quod sit non in purgatorium, sed ad cœlestia transla-
ta. Testimonium hoc aureo sibi nummo comparavit uxor
mea. Quid ergo est, quod Plebanns hic noster missis suis,
nescio quam liberationem defunctæ uxori necessariam esse
asseverat? si id recte affirmas, decepta est uxor à Pontifice, si
decepta ab illo non est, imponere mihi conatur hic Pleba-
nus. Ad ista cum neque Plebanus neque Præfectus, quod
contradicerent, haberent, calcearium libere à se dimise-
runt. Neque enim audebant damnare Pontificis di-
ploma. *Hec Musculus.*

Tantum.

SOLI DEO GLORIA.

ua,
ni-
rea
ele-
deo
stia
nde
um
des,
t in
pro-
ega-
anc
cto
tat.
m-
di-
uit,
oris
sla-
xor
uis,
esse
e, si
ba-
nod
ife-

ULB Halle 3
004 969 642



f

V.17

m





MAXI
DN.
S.S. TI
Schlie
Dic

DN.
Hære
ac Po
fe

DNN
mni ho
æ

ISSIMO, 'at-
10,
ODIO,
no, Ecclesiæ
no, totiusq;
ongeme-
mo.

IMO,
ACOBI,
/Serenissimi
axon, Præ-
isfimo,

ribus suis, o-
servantiâ, in
erandis.

osce sacros Acad.
atos dedicatosq;
vult

RESPONDENS.

